

Kreis
Steinfurt

S 193

1278 (1277) Januar 29. Ahaus.

[84

Bernhard, Edler Herr von Ahaus, verkauft der Kommende Steinfurt die Erben Schmiedemann und Hiermann im Kspl. Lare.

Nos Bernardus nobilis dominus de Hahus omnibus presens scriptum visuris notum facimus, quod nos de pleno consensu uxoris nostre Sophye ac puerorum nostrorum, videlicet Johannis, Ottonis et Jutte, duas domos sive mansos sitos in parochia Lare, unam dictam Smedinc et alteram Riderinc, cum omnibus suis attinentiis, hominibus infra vel extra manentibus, casis, agris cultis vel incultis, pratis, pascuis, nemoribus vendimus commendatori et fratribus domus hospitalis Jerosolimitani sancti Johannis in Stenvordia pro lxx^a marcis Monasteriensis monete, et eadem bona libere resignavimus eisdem coram venerabili patre nostro E., Dei gratia Monasteriense episcopo, in castro

Horstmare feria quinta post conversionem Pauli, presentibus preposito Varlarensis Conrado Stric et aliis quam pluribus. Recognoscimus item presentis scripto, quod VI^a feria immediate sequente, videlicet in octava Agnetis, resignavit similiter predicta bona filius noster Johannes in Monasterio coram venerabilibus viris Brunsteno decano ecclesie Monasteriensis, Bernardo preposito sancti Ludgeri necnon preposito Hermanno de Holte et Rotberto capellano nostro et Engelberto officiali nostro. Sabbato vero sequente immediate in castro nostro Ahus propter commodum uxoris nostre, que gravida fuit, eadem Sophya uxor nostra et Otto filius noster necnon et filia nostra Jutta eadem bona similiter dictis fratribus libere resignaverunt presentibus castellanis et ministerialibus nostris, videlicet Hermanno de Wllen, Nicolao de Horstelo, Rotgero de Ramesberge, Godescalco de Hec militibus et domino Lamberto de Lare et Hynrico filio suo et Willikino de Hopinchen et aliis quam pluribus. Nos vero insuper una cum predictis castellanis et ministerialibus nostris promissimus et cum uxore nostra et dictis pueris nostris presenti scripto bona fide promittimus, sepe dictos fratres in predictis bonis tamquam boni warandi ab omni inquietatione indempnes conservare. In [eius] autem rei testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine communitur. Datum Ahus coram predictis anno Domini M^occ^olxx^ovn^o, sabbato post conversionem Pauli, presentibus item L. commendatore, H. de Widerden, H. de Drivorde, Johanne celebrario ex parte fratrum.

Orig. Siegel. VIII. Rep. II. 1. b. 16. Nr. 23. Kopie im Kopiar A fol. 45*; danach Druck Darpe, S. 20.